

B71939
.C5
p4
v.2



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PARS TERTIA

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATAE.

APPENDIX XXXI.

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN CLERICOS IN SACRIS CONSTITUTOS, VEL REGULARES AUT MONIALES POST VOTUM SOLEMNE CASTITATIS MATRIMONIUM CONTRAHERE PRAESUMENTES.

Excommunicationi latae sententiae, prosequitur Pius Papa IX in Const. *Apostolicae Sedis moderationi*, Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus.

I.

Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

Initium daturi hoc in secundo volumine Commentationibus circa excommunicationes Episcopis sive locorum Ordinariis reservatas, gratum lectoribus nos facturos arbitramur, si ut aliis Commentatoribus mos est, differentias innuamus intercedentes inter excommunicationes Episcopis de iure communi reservatas, et eas quae de iure particulari eis reservatae sunt.

Et 1^o cum manifestum sit, censuras Episcopis de iure communi reservatas, non ab ipsis, sed vel a Romano Pontifice, vel ex iure latas fuisse, eadem sunt in qualibet Dioe-

cesi, atque neque minui neque augeri possunt, cum ad haec Episcopi non habeant facultatem, nedum in se, sed etiam respective, eo quod in alienas Dioeceses potestatem exercere nequeant; quae autem de iure particulari eis reservatae sunt, cum ab ipsis latae fuerint, eadem non sunt in singulis Dioecibus, vel ad summum per accidens; minui insuper, augeri, vel omnino tolli ab Episcopis possunt.

2^o. Quae censurae de iure communi Episcopis reservantur, cum a Romano Pontifice in universam Ecclesiam habente potestatem la-

007322

tae fuerint, indiscriminatim quorumvis Episcoporum subditos afficiunt, in quacumque Dioecesi consistant; in quacumque enim Dioecesi subditi Romani Pontificis manent; quae autem de iure particulari reservatae sunt Episcopis, afficiunt tantummodo subditos, subiacentque quoad non subditos illis omnibus exceptionibus, quas Canonistae recensent.

3° Demum a censuris de iure particulari reservatis, qui eam contraxit, tantummodo ab Episcopo loci absolvi potest; cum enim par in parem non habeat potestatem, non potest Episcopus alienos subditos absolvere; ab censuris autem reservatis de iure communi potest absolvere Episcopus quilibet, tum ex lege lata, tum ex quo censurae eiusmodi non afficiant potestatem iurisdictionalem seu coercitivam Episcopi, cum a Romano Pontifice latae sint, sed tantummodo potestatem eas absolvendi, quae aequalis in omnibus est, cum ea a Romano Pontifice indistincte omnibus Episcopis concessa fuerit.

Hisce praemissis Pianum Caput expendamus.

Atque 1. novum ius inter et antiquum differentias adnotabimus.

2. Conditiones perpendemus ad eiusmodi incurendam excommunicationem necessarias.

(1) Quamvis certum sit, nonnullas Clementinas constitutiones promulgatas fuisse in Concilio Viennensi, tamen difficillimum, ne dicamus impossibile, est discernere, quatenam a Pontifice Sacro approbante Concilio latae fuerint, quatenam, vero ipsius Pontificis arbitrio commissae.

3. Varias quaestiones, in quibus Commentatores inter se dimicant proponemus, et Deo auxiliante, absolvemus.

Quoad 1. itaque, Piani Capitis excommunicatio iam lata fuerat ab Clemente V. in Concilio Viennensi anno 1311 (1) atque refertur in *Clement. unica de consang. et affin.* « Eos, qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum scienter in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; nec non religiosos et moniales ac Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonialiter contrahentes, refrænare metu poenae ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere; praecipientes Ecclesiarum Praelatis ut illos quos eis constitit taliter contraxisse, excommunicatos publice tandiu nuncient, seu a subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscen-tes errorem separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per praedicta quoque iuribus, quae sic contrahentibus alias poenas imponunt, in nullo volumus derogari. »

Patres igitur Concilii Viennen-

sis excommunicationi subiecerunt 1° quolibet non verentes scienter contrahere matrimonia cum monialibus. 2° Religiosos, moniales, et Clericos in Sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes.

Collata igitur eiusmodi cum Piano Capite dispositione, reperimus novum ab antiquo iure discordare 1° in eo quod Clementina sive ex verborum significatione, sive ob interpretum expositiones quoslibet Religiosos proprie dictos comprehenderet; qua de causa vi Clementinae Iesuitae qui post duos annos probationis, ex privilegio eis concessa a Gregorio XIII in Bulla *Ascendente Domino*, diei 25 Maii 1584 veri religiosi habentur, quamvis professionem solemnem non emittant, sub lege comprehendebantur: non ita tamen post pianam Constitutionem, in qua excommunicantur tantummodo religiosi matrimonium contrahere attentantes post votum solemne castitatis. Ex quo sequitur Religiosos solemniter non professos, etiam Societatis Iesu, aut Sanctimonialium votorum simplicium matrimonium nunc contrahere attentantes, excommunicationem hanc non incurrere.

2° Clemens V. excommunicationi quidem subiecerat eos omnes qui cum monialibus matrimonia contrahere non vererentur, non autem mulieres quae Clericis in sacris Ordinibus constitutis, aut Religiosis, solemniter professis nubent; Pius autem Papa IX excommunicationem et ad has extendit, nec non omnes

cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

3° Nemini Clementina excommunicatio reservata erat, cum eiusmodi sacrilega matrimonia contrahentes tandiu excommunicati esse deberent, donec suum humiliter recognoscen-tes errorem separentur ab invicem, et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Si igitur adimplerent praescriptam conditionem a quolibet absolvi censura poterant. E contra in Piano Capite Episcopis censurae absolutio reservata est etiam postquam contrahentes eiusmodi ab invicem sese separaverunt.

4° Praetermittimus, Pium Papam IX non renovasse excommunicationem, qua cavebatur ne quis contraheret infra consanguinitatis vel affinitatis gradus in iure prohibitos, cum rem nostram non ingrediatur.

Ex dictis autem patet, antiquum ius partim restrictum, partim ampliatum fuisse: ampliatum quidem relate ad personas quae excommunicationem contrahunt, cum haec nunc extendatur etiam ad foeminas quae clericis in sacris constitutis, vel religiosis solemniter professis nubunt, restrictum autem relate ad absolutionem quae prius quidem nemini reservata erat, nunc autem reservatur Episcopis.

II.

Triplex autem conditio ad incurendam excommunicationem prae-

scripta reperitur; prima quidem ut matrimonium contrahentes constituti sint in sacris Ordinibus si Clerici, votum solemne castitatis emisserint, si utriusque sexus monachi. Hinc sequitur, Religiosos votorum simplicium, quamvis veri nominis sint Religiosi, ut alumni Societatis Iesu, nullam incurrere excommunicationem, si matrimonium cum saeculari foemina attentaverint; secus si cum sanctimoniali votis solemnibus obstricta; sic etiam sanctimonialis votorum simplicium nullam excommunicationem contrahet, si nubat viro saeculari vel ecclesiastico in minoribus ordinibus constituto, aut Religioso solemniter non professo, contrahet autem si illi vel sacris ordinibus, vel solemniter professione sint obstricti.

Sequitur pariter, neque Clericos, neque Religiosos eiusmodi hanc incurrere excommunicationem, si vitio aliquo ordinatio in sacris, aut solemnis professio religiosa nulla sit; hi enim dici non possunt, neque sunt in sacris ordinibus constituti, aut solemniter professi.

Neque quis obiciat, hos in communi hominum existimatione haberi tamquam in sacris constitutos, et solemniter professos; lex enim loquitur de vera et valida ordinatione et professione solemniter, non autem de professione, aut ordinatione invalida, atque in poenalibus verba sunt stricto sensu accipienda.

Advertendum tamen est, quod in dubio de valore ordinationis aut

professionis, incurritur excommunicatione, eo quod in dubio praesumitur factum quod de iure faciendum erat; atque non pertineat ad eiusmodi homines, qui validissimas etiam Ordinationes et professiones in irritum mitterent, de valore eorum iudicium ferre, sed ad iudices ecclesiasticos, qui iuxta acta et probata sententiam ferant.

Altera conditio est, ut hi matrimonium contrahant; hinc si vel unicis sponsalibus sese ligent, vel in concubinato vivant, excommunicatione non ligantur, cum nec sponsalia, nec concubinitus matrimonium sint, nec lex poenalis extendi possit de casu in casu ab rationis paritate: Sequitur pariter, quod si matrimonium nullam sit ob defectum consensus, excommunicatio non incurritur, cum dici non possint matrimonium si velle contrahere, qui consensum necessarium ad eius valorem non ponunt: hoc autem locum habet, quamvis una tantummodo pars fictum consensum praestet, cum matrimonium utriusque contrahentis consensu perficiatur.

Sedulo tamen advertatur quod cum in locis ubi Tridentinum Concilium receptum non fuit, sponsalia, quibus subsequebatur copula affectu maritali habita, in legitimum matrimonium transirent, atque ius novum nihil in re immutaverit; si qui Clerici in sacris constituti, aut Religiosi solemniter professi sponsalia contraherent, at-

que postea sponsam maritali affectu cognoscerent, hi dicendi essent excommunicationem contrahere, eo quod matrimonium per subsequentem copulam contrahere praesumpserint (1).

Hoc autem in locis tantummodo, in quibus Tridentinum receptum non fuit, valere putandum est; iis autem in locis ubi Tridentina lex viget, ad contrahendam excommunicationem unica matrimonii celebratio, quamvis invalidi, satis erit, quin copula consummetur, cum lex non consumationem, sed ipsam celebrationem matrimonii afficiat: *matrimonium con-*

trahere praesumentes: qua in re ius novum cum veteri plane concordat.

Ex praemissis sequitur pariter, nullam incurrere excommunicationem Clericos et Religiosos eiusmodi si matrimonium cum impubere contrahant, cum impuberes tamquam incapaces in iure habeantur ad matrimonium proprie dictum contrahendum, eorumque consensus etiam de praesenti sponsalia tantummodo constituere possint, ut patet ex Cap. *Infantes unic. de dispensatione Impuberum* (2).

Verum hoc in loco gravissimam quaestionem Commentatores agitant

(1) Ita Bonacina *De Excommunicationibus in particulari Disp. II, Quaest. II, Punct. VIII. num. 14.* Eius autem sententia confirmatur ex Cap. *Is qui 30 De sponsalibus et matrimonio.* « Is qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio » contrahendo, insuper carnali copula subsecuta, etsi in facie Ecclesiae ducat aliam » et cognoscat, ad primam redire tenetur; quia licet praesumptum primum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen huiusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur, quod nec verum, nec aliquod censetur matrimonium » quod de facto est postmodum subsecutum ». Nulla vero esset fides illa nisi carnalis copula subsequatur, ut ex textu patet.

(2) « Si infantes ad invicem vel unus maior septennio et alter minor sponsalia » contraxerint; ipsi vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutua, » seu alias verbo vel facto ipsorum liquido appareat eosdem in eadem voluntate » factos maiores septennio perdurare; sponsalia huiusmodi quae ab initio nulla » erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt; et ideo cum sint nulla » ratione defectus consensus publicae honestatis iustitiam non inducunt.

» Idem quoque si pubes et impubes vel duo impuberes non proximi pubertati, » et in quibus aetatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de praesenti; » sponsalia enim illa quae iuris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro (licet verba consensum exprimentia de praesenti haberent, et matrimonium » contrahere intenderent contrahentes) per adventum pubertatis in matrimonium » non transeunt de praesenti: nec matrimonium (quod ut matrimonium aetate non » tenuit prohibente) per lapsum dicti temporis convalescit; nisi per carnis copulam » subsecutam, vel aliquem modum alium contrahentes eosdem cum eiusdem perseverantia voluntatis ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidenter. Per » dictum tamen contractum, qui voluit ut potuit, non sicuti agebatur, publicae » honestatis iustitia est inducta. »

in qua dirimenda discrepantes reperiuntur.

Quaerunt enim: an excommunicatione exempti iudicandi sint Clerici in sacris Ordinibus constituti, aut Religiosi qui votum solemne castitatis emisissent, si matrimonium contrahere praesumant, quod sit nullum ex alio capite, ex. gr. quod contrahentes consanguinei sint, vel aliquo dirimenti impedimento laborent; valeret autem matrimonium eiusmodi, si ordo sacer, vel votum solemne castitatis in alterutro contrahente validitatem eius non impediret?

Alias; necessarium ne est ad excommunicationem incurrendam ut matrimonium nullum sit tantum ratione sacri ordinis, et voti solemniss castitatis, ita ut si nullum esset ex alio aliquo impedimento dirimenti excommunicatio non incurratur?

Clarissimus Commentator Reatinus *Comment. sect. 3. pag. 89.*

(1) Quamobrem non incurritur excommunicatio si matrimonium contractum fuerit cum affine vel consanguinea, vel socio criminis, ... vel cum infideli. - Item si contractum sit cum alio impedimento dirimente.

(2) Ad incurrere detta censura richiedesi *primo* che codeste tali persone attentino di contrarre vero matrimonio, che fosse valido per ogni altro lato, se non fosse appunto l'impedimento dell'ordine e del voto; *secondo* che attentino ciò con piena deliberazione (sciens volens), poichè mancando l'una o l'altra di queste condizioni non si potrebbe dire d'avere attentato il matrimonio, non potendosi allora tale atto chiamare con questo nome, e quindi correrebbe l'assioma: *Non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum*; dovendosi interpretare strettamente la parola matrimonio. Per conseguenza richiedasi, ad incurrere la censura, che attentino quell'atto il quale abbia buona forma e sembianza di matrimonio, e che non sia invalido per altro motivo che appunto per l'Ordine Sacro o il voto solenne.

(3) Posthabenda itaque prorsus ea sunt, quibus Avanzini (n. 35) sanctionem hanc extendit ad matrimonia, quae alia ex causa irrita forent, prout et Cretoni... ostendit.

Edit. 3. diserte affirmat, excommunicationem non contrahi si matrimonium sit nullum ex alio capite, et non tantum ratione Ordinis vel voti castitatis: « Quocirca excommunicatio non incurritur si..... » vel demum 3. quodvis aliud obstiterit dirimens impedimentum: » v. gr. si contraxerint cum consanguinea vel affini, vel socio criminis vel infideli ».

Ei porro subscribunt De Varceno *Compendium Theologiae Moralis tom. 2. pag. 491. Edit. IV. 1876 (1)* Ciolli *Commentario pratico delle censure pag. 105. (2)* Ballerini in notis ad *Gury tom. 2. pag. 1003 nota a. (3)*. Cretoni in *adnotationibus ad Gury tom. 2. pag. 615* huic sententiae favere videtur, quamvis proprium iudicium aperte non exprimat. Comentator. Patavinus *pag. 244. n. 326.*

Hi vero sequentibus argumentis sententiam propugnant.

1°. Quia canon est, non incurrere poenas comminatas illos qui actum nullum ponunt, ut ex. gr. si Sacerdos suspensus missam celebraret in vino, irregularitatem non incurreret.

2°. Ex axioma iuris: *quod nullum est nullum parit effectum*; quod axioma desumptum est ex regula iuris 52: *Non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum*, scilicet, ut hanc regulam interpretatur Reiffenstuel: quidquid de iure nullum, seu invalidum est, consequenter omni caret iuris effectu, prorsus nullum causat impedimentum, seu nullatenus impedit quin alius actus valide et licite fieri queat.

3°. Quia doctores Salmanticenses Suarez et Sanchez hanc defendunt opinionem.

4°. Addit Ciolli *loc. cit.* quis in his casibus deest matrimonii figura.

5°. Clarissimus autem Commentator Patavinus eandem opinionem triplici ratione defendit: et quod

Commentatores in eiusmodi sententia defendenda communiter conveniant, et quod in dubiis minimum sit tenendum; et quod etiam antiqui iuris interpretes in exponendis verbis clementinae legis *contrahere matrimonialiter, matrimonia contrahentes* eandem normam secuti sint (1).

Verum praeter Avanzinum, his omnibus contradicunt clarissimi scriptores *Ephemeridis Nouvelle Revue Théologique tom. XI. pag. 54.*, qui adductas etiam rationes refutare curant, quorum argumenta Mac in quaestione referenda prius censemus, ut deinceps sententiam nostram humillime proferamus.

Ad primum et secundum argumentum respondent, regulam 52 iuris canonici in re potuisse invocari, si legislator, quo latae poenae incurrerentur, validum matrimonium exegisset. At actus, quem excommunicatione ferit, est actus per se nullus: ergo si huic actui applicaretur citata iuris regula, plana excommunicatio non incurreretur

(1) Requiritur secundo, scribit, ut revera contrahatur matrimonium. Opus est nempe ut matrimonialis contractus ita celebretur, ut si non officeret impedimentum Ordinis vel Voti, de quo sermo est in praesenti articulo, veluti validum actum matrimonium in facie Ecclesiae posset haberi. Hinc deducitur, quod si praeter praefata impedimenta aliud quidpiam validae celebrationi officeret; qui contractum huiusmodi attentaret, vere ac proprie non diceretur attentare matrimonium, ac proinde huic excommunicationi non esset subiiciendus. Secundam hanc conditionem esse adiungendam omnino iudicavi, tum quia in dubiis de poenarum applicatione quod *minimum est tenendum*; tum etiam quia in ea admittenda recentiores auctores quasi unanimiter concordant; tum demum quia etiam veteres theologi in interpretanda ea voce Clementinae legis: *contrahere matrimonialiter, matrimonia contrahentes*, eandem, quam nos, normam sequuti sunt, ut videre est apud Bonacinam.